

prediſte, omnes tres vel maior pars ipſorum, fuerint in concordia, poſſint congregare maius conſcilium, et aliter potestas per ſe maius conſcillium congregari facere non poſſit, ſub pena centum libr. par. et ſub pena libr. par. vigintiquinque pro quolibet iudice vel rectore; et dum fuerint concordēs tunc 5
 per preconem fatient proclamare ſuper ſchalis palatii et in quolibet quarterio civitatis quod quilibet de maiori conſilio venire debeat ad conſcilium quando pulſabitur. ¶ Et quando conſcilium fuerit congregatum, ſi erit occasione alicuius prepoſite fiende, tunc omnes prepoſite, de quibus iudices vel 10
 maior pars ipſorum erunt concordēs, per dominum potestatem preponi debent, ſub pena libr. centum pro quolibet potestate et qualibet vice contrafacta. ¶ Salvo quod contenta in ſtatuto non poſſint preponi in maiori conſcillio, ſub pena quinquaginta libr. par. pro potestate et iudice. ¶ Et antequam dicta 15
 prepoſita per ipſum dominum potestatem preponeretur, ſcribi debeat per cancellarios comunis in quaterno ad hoc deputato, et ipſa prepoſita ſcripta per ipſos cancellarios in dicto conſcillio legi debeat, qua lecta dominus potestas tunc ipſam preponere teneatur. ¶ Et cum fuerit facta ipſa prepoſita una 20
 58 A vel plures, tunc per ipſos // iudices eligantur et eligi debeant et deputari duo ſapientes pro comuni utilitate de ipſo conſcillio, meliores quos crediderint eſſe, qui conſtringi debeant ſacramento conſulere ſuper dicta prepoſita una vel pluribus id quod crediderint utilius et comodius civitati Tergeſti, conſcilium quorum primo procedat ad ballotandum et ſit ipſo 25
 loco, et nichilominus quilibet alius conſciliarius conſulere poſſit et valeat ſuper ipſis prepoſita vel prepoſitis, ut melius ei videbitur, non excedendo ultra prepoſitam factam. ¶ Et ſi quis conſciliariorum ultra prepoſitam vel prepoſitas factas 30
 arengaverit, cadat ad penam quadraginta frx. incontinenti ſolvendorum ſine remiſſione. ¶ Dicta quorum conſciliariorum,¹⁾ tam illorum de utilitate quam aliorum, cancellarii comunis ſcribere teneantur ſingulariter in quaterno ad hoc deputato, ſub pena viginti ſold. par. pro quolibet cancellario. ¶ Et in 35

¹⁾ *consalariorum.*